

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6909

**Auteur(s)** : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1162

**Lieu d'émission** : Domfront

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Confirmation d'un accord conclu entre l'abbaye de Savigni et Payen de Saint-Brice, au sujet du prieuré de Virei.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCXXV, t. 1, p. 362-364.

Texte établi d'après a

Henricus, rex Angl[orum], et dux Norm[annorum] et Aquit[anorum], et comes And[egavorum], archiepiscopo Rothomagensi, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justic[iis], vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus suis totius Norm[annie], salutem.

Sciatis me concessisse et hac presenti carta confirmasse, pro amore Dei et pro salute anime mee et omnium predecessorum et successorum meorum, conventionem qu# inter monachos Savigneii et Paganum de Sancto Bricio et Gervasiam, uxorem ejus, et filios rationabiliter facta est, hanc scilicet quod monachi, qui apud Vireium sub priore vel abbate vivere debebant, ad Savigneiense cenobium revocarentur, et quicquid ipsi apud Vireium habitantes ex dono Ranulfi de Vireio et fratrum suorum et uxorum eorumdem, Odeline Ran[nulfi] et Isabel Willelmi, seu ex dono aliorum fidelium rationabiliter possidebant, totum sine reclamazione vel calumpnia monachi Savigneii in victum et usus suos deinceps in perpetuum quiete et solute possidebunt, excepto quod locum in quo monachi apud Vir[ei]um habitabant et circumjacentem terram, plaissicium scilicet et molendinum, et quod habebant in piscaria, et totam masuram de Montagou, et dimidiam masuram Jualli et campum de Quercu Foliata, omnia soluta et quieta Pagano et uxori ejus et heredibus dimitterent. Paganus vero atque uxor ipsius et filii in commutationem istorum justa forestam Savigneii totam terram de Meliun et masuram Auchier et Aurineriam et campum Guernunusle, et juxta cimiterium Vir[ei]i duas acras terre de dominio suo, omnia ista cum omnibus pertinentiis suis quieta et soluta monachis Savigneii in perpetuum ipsorum possessionem darent, insuper et in parrochia Maidrei terram Marigne et totum dominium suum de Maretis, qu# duo Ranulfus monach[is] Vir[ei]i antiquitus donaverat, sed postea iratus eis retraxerat, monach[is] Savign[ei] quiete et in pace redderent, et sicut quieta erant et omnino soluta ea qu# monach[i] Pagano et filiis ejus tradebant, ita Paganus et Gervasia uxor ipsius atque filii et heredes ipsorum ea que monachis dabant libera penitus et quieta et ab omni jure et servitio alicui hominum impendendo, sicut revera erant et esse debebant, absoluta omnino facerent, et si quis in predictis terris aliquod jus vel servitium reclamaret, totum monachis aquietarent. De his autem possessionibus quas monachi Vir[ei]i antiquitus possidere solebant, quas et

monachi Savign[eii] amodo possidebunt, iste debent propriis designari vocabulis: ecclesia Sanctorum Gervasii et Prothasii de Vir[eio] et terra qu# ad elemosinam ecclesie pertinet, et decime totius parrochie, exceptis duabus partibus decime de Lalue, ecclesia et decime Sancti Martini de Bresceio ex integro, ecclesia et decime de Molinis ex integro, ecclesia et decime de Maisnillo Touve ex integro, ecclesia et decime de Maidreio ex integro, excepta tertia garba quam habent sanctimoniales Redon[enses], ecclesia de Helduini Maisnillo et tertia pars decime, ecclesia et decime de Monte Martini ex integro, ecclesia de Quetelvilla et capellaria de Saie et decime totius parrochie, excepto feodo Gisleberti de Hoga, ecclesia de Gouv[i]lla et decime totius parrochie exceptis viginti quarteriis ordeii que habet inde Exaquiense cenobium ; insuper presentatio et dispositio cappellanorum supradictarum ecclesiarum et im (sic) parrochia Logiarum Landa Gefre et et terra Robardet cum omnibus ad ipsas pertinentibus. Istam ergo conventionem ratam fore constituo et prenomatas possessiones utrique parti rationabiliter assignatas cum omnibus quietantiis suis et libertatibus et liberis consuetudinibus ab eis in perpetuum possidendas sicut supradictum est ego confirmo et sigilli mei testimonio consigno.

Facta est autem ista mea confirmatio anno ab incarnatione Domini M° C° LXII°.

Testibus : Rotroldo episcopo Ebroicensi, Ern[ulfo] episcopo Lexoviensi, Frogero episcopo Sagiensi, Ricardo de Humet[is] constabulario, Man[assero] Biset dapifero, Willelmo Filio Ham[onis].

Apud Domnam Frontem.